

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**D. Lavrentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam
Brevissime Complectens**

Cvm Figvris Aeneis

Heister, Lorenz

Norimbergae, MDCCXXXII.

VD18 90513142

Einleitung

urn:nbn:de:gbv:45:1-9909

PRAEFATIO AD LECTOREM.

QUamvis ante compendii huius editionem primam libri anatomici non defecerint, neque compendiorum anatomicorum fuerit penuria: tamen me auctum egisse non existimo, cum *hocce Compendium anatomicum* primum, & deinde aliquoties auctius atque emendatius, in manus hominum edere susceperim.

Etenim, quoniam *scientia anatomica* ita est comparata, ut, more omnium aliarum scientiarum, industria atque improbo praestantium virorum labore, *indies emendationes & incrementa admittat*, atque etiam nostris temporibus largissima sumserit: hinc harum rerum gnaris facile erit manifestum, *in antea usitatis compendiis & syntagmatibus anatomicis quam plurima deficere*, quæ ab aliquo tempore a variis vel recens detecta atque inventa, vel emendata atque correctæ sunt, quæque studiosæ iuventuti, & inprimis tyronibus Medicinæ, scitu sunt & utilia, & necessaria.

Cum vero his valde molestum ac difficile sit, fundamenta Anatomies, & res iam cognitæ, ex tam multis, eheu! libris, & quidem sæpe ingentibus ac valde prolixis, colligere aut conquirere: atque hic labor haud levem in progressu studiorum eorum ponere possit remoram, magnamque tyronibus naufragam creare: *hoc compendio eos sublevare*, artemque effato HIPPOCRATIS, iam satis longam ac difficilem, breviorē, facilioremque reddere studui.

Recte enim suadet illustris BOYLEVS *a)*, ut in scientiis subinde, quando largi progressus, sive magna incrementa facta sunt, novum systema in lucem emit-

a) Tentam. physiolog. commentatione proœmiali.

emittatur, ad optimorum scriptorum sententias & observationes adornatum: *Istiusmodi enim opus, ait, tunc summæ utilitatis esse posse: partim ad initiandam in scholis & Academiis iuventutem; partim, ut habeant homines præ manibus eorum indicem, quæ iam inventa sunt; ut de cognitis non amplius laboretur, & humani in scientia progressus evidentius appareant.* Insimul tamen monet, ne istiusmodi opus in publicum detur, donec scientia cumulo aliqua notabilis accessio habeatur.

Plures vero quam viginti nunc præterierunt anni, cum Clar. Schelhammerus a), postquam *Verheyenum* acri censura, castigaverat, iam fuerit conquestus, nos commodo, quo partium historia tradatur, destitui compendio: atque optavit, ut vir aliquis doctus, qui in veterum recentiorumque scriptis æque sit versatus, id qui præstet, publico bono excitetur, qualis olim *Veslingius* fuerit: atque propterea exclamavit: *Utinam novum aliquem Veslingium concederet nobis cælestis favor, qui pari cum verborum nitore, brevitate ac pondere, nova veteribus addita exponeret.* Verum prorsus fere desperavit, idque hoc seculo fortassis optare licere: sperare vero non licere, iudicavit. Nam pergit: *Artis sane est non vulgaris, maiorisque, quam facile creditur, concinnare eiusmodi compendium, succincte, nervose, cum iudicio, methodoque vera ac facili, denique eleganter, & a media ætate petitis verbis.* Quod quam difficile sit, ex prædictis nemo non cognoscit: in primis quando simul animo perpendit, quanta nunc linguarum notitia ei sit necessaria, qui hodie bonum compendium conficere, omnesque res novas, quarum sane quam plurimæ sunt, quæ

a) in præfatione *Analector. Anatomico - physiologicorum*: qui liber prodiit *Kiliæ An. 1704. 4.*

quæ hoc tempore non sola latina lingua, ut *Veslingii* patrumque nostrorum ævo, sed gallica, italica, anglica, belgica, atque germanica etiam scribuntur, prævio præsertim accurato illarum examine, in compendium apte transferre studet. Quantum præterea commercium litterarum in hoc studii genere, quantumque laboris & sumtuum, ut libros, eosque sæpe pretiosissimos, exteris præsertim in regionibus impressos, acquirat, requirantur, dici sane vix potest. Et quamvis *Veslingius* non sim, multo minus me talem esse credam, qualem *Schelhammerus* hic desiderat; summa tamen ope nisus sum, ut ea, quæ hic in compendio iure desiderat, quantum tenues meæ vires, aliaque mea negotia admittunt, præstem: atque dum *Veslingium* æquare non potui, eum tamen imitari, & quousque mihi licuit, assequi studui. Operam minimum haud levem impendi, ut saltem longe perfectius ac melius compendium exhiberem, quam ante meum habebamus.

Quodsi enim examinamus recentissima illorum, quibus meum prima vice edere cœpi, temporum syntagmata & compendia anatomica: profecto ingens recens inventorum cumulus, & accessio quam maxima novarum observationum occurret, quæ in illis deficiebant.

Consideremus enim vulgatissimum librum anatomicum, & in Academiis illo tempore usitatissimum, nimirum *Anatomiam corporis humani* clarissimi VERHEYENI, (de imperfectioribus enim iam nihil dicam atque perspiciemus, non solum multos adhuc errores in eo contineri, quos recentiores correxerunt & emendarunt; sed etiam nova inventa quamplurima in eo deficere: & quidem non modo eorum autorum observationes, qui post eum scripserunt; verum etiam mul-

multæ illorum, qui ante editionem ultimam libri eius (quæ An. 1710. Bruxellis prodiit) iam prostabant.

Liceat ad sententiam hanc nostram probandam ex multis tantum nonnulla commemorare, quæ in hoc scriptore & plerisque aliis, qui ante ipsum scripserunt, deficiunt, vel male descripta sunt; non quidem eo animo, ac si honori atque existimationi eius aliquid detractum esse velim, ut nonnulli sinistre interpretari voluerunt: *a)* quod absit a me *nam multa bona præstitit, & egregie de re anatomica meritus est*; sed ut demonstrarem, multa ab ipso fuisse neglecta, atque novum quoddam compendium, sive novum rerum in anatome cognitarum indicem, fuisse necessarium: (ne iure mihi exprobrari queat, me actum egisse, aut nihil præ VERHEYENO præstitisse) tam pro studiosa iuventute, quam etiam pro aliis eruditis, qui, quæ in Anatome iam nota sunt, cognoscere desiderant: *ut in cognitis non diutius, quam par est, se detineant, sed, ut in incognitis tanto melius progrediantur, atque uberiora incrementa facere annitantur.*

Primo autem loco generatim hic notamus, VERHEYENVM scriptores Anglos, forte ob linguæ Anglicanæ imperitiam, *non legisse*; quos tamen, quia ab ipso non adeo remoti fuerunt, habere facile potuisset. Nominatim vero celeberrimi anatomici, GVILIELMI COWPERI scripta ipsi prorsus fuisse incognita, inde patere existimo: quia nusquam eorum ullam fecit mentionem. Deinde, cum in tract. II. cap. XXIV, (ubi de pene agit, in edit. Bruxellensi p. 117.) ex Clar. MORGAGNIO aliquid referat de usu foraminulorum in
ure-

a) præsertim auctor Versionis gallicæ huius libri, ut relatum legi in Diario Gallico (*Journal des Scavans*) An. 1725 mense Julio: ubi tamen Auctores huius Diarii me optime defendunt.

urethra virili, & MORGAGNIUS de glandulis COWPERI iuxta urethram loquatur, addit VERHEYENVS in parenthesi: *quales illæ glandulae sint, ignoro*; cum tamen non solum in peculiari scripto, & quidem non anglicano, sed latino, An. 1702. Londini impresso, verum etiam postea in *Actis Lipsiensibus, Ephemeridibus Gallorum, Historia Academiae Regiae Scientiarum*, KEILII Anatomie DRAKII Anthropologia, & HORNII Microcosmo, cum notis clarissimi D. PAULI Anno 1707. Lipsiæ edito, descriptæ fuerint: quos igitur libros omnes non evoluisse videtur.

Præter has glandulas *omisit quoque varios novos musculos*: quos COWPERVS in Myotomia sua reformata, quæ tamen iam An. 1694. prodiit, descripsit: ut *flexorem capitis, rectum scil. minorem anticum, & rectum lateralem, inter spinales colli, musculorum oculi & lingue pulcherrimam delineationem*, cum multis aliis egregiis inventis, quæ tam in magno suo opere, *The Anatomy of the human Body*, quam in *Actis Lipsiensibus*, item in citato modo KEILIO, DRAKIO, PAULI, & alibi, repetita sunt. Imo *nihil quicquam habet VERHEYENVS ex Actis*, ut vocant *philosophicis Anglicanis, aut ex Historia Academiae Regiae Scientiarum; neque ex Ephemeridibus Naturæ curiosorum; neque e Diario Parisiensi, aut Actis Eruditorum Lipsiensibus*, ullove alio libro simili periodico, qui nova litteraria recensere solent. Unde patet, VERHEYENVM in multorum librorum, etiam vulgatissimorum, lectione sæpe non versatum fuisse. Hoc vero adhuc magis manifestum erit, si consideramus eum observationum GAGLIARDI, Itali, & HAVERI, Angli, circa *ossa & glandulas mucilaginosas*, tam diu cum publico iam communicatarum, ne quidem meminisse; itemque observationes BON-

CLARI

CLARI & LEALIS LEALIS circa *testes ac Vesiculas seminales* omisisse, atque *musculos urethræ, transversales* dictos, a BIDLOO, COWPERO, LITTRIO & aliis descriptos, aliaque similia, non commemorasse. Sic nec Celeb. DUVERNEI librum *de organo auditus*, adeo tritum & notum, ipsum vidisse, aut legisse inde patet: quia eius non solum non meminit; sed & figuras illius, quas BLANCARDVS, sine auctoris mentione, in Anatomem suam transtulerat, pro figuris BLANCARDI venditat: Tab. XXIX, fig. 2; quæ vero DUVERNEO adscribendæ erant. Silentio quoque præterit BRVNNERVVM de *Pancreate, glandulis duodeni*, atque *glandula pituitaria*: quæ tamen scripta, a triginta quasi annis iam prostabant: itemque ANTONII MARIAE VALSALVAE tractatum *de Aure humana*: cum tamen is multa notatu digna scripserit, eiusque liber in Belgio non solum recusatus; verum etiam in Actis Lipsiensibus, aliisque Diariis, iam dudum recensitus sit.

Miror quoque, eum *corpus reticulare MALPIGHII* in lingua, ceteraque eius tegumenta omisisse: cum tamen hæc iam tam diu a MALPIGHIO, BELLINO, BURDONO, MANGETO, aliisque quamplurimis scriptoribus, ab eo tempore, descripta sint. Ita nec TERRANFI observationum *de glandulis urethræ* neque *Nabothi* de Ovario suo novo mulierum, ullam facit mentionem. SWAMMERDAMIUM quoque silentio præterit, qui tamen nitidas *de utero* exhibuit figuras & observationes: itemque DEVENTERVM, qui *pregnantium uterum* bene delineavit.

COWPERVS & DRAKIVS *penis virilis anatomem*, vere elegantibus figuris illustratam dederunt: in qua præter glandulas & musculos supra memoratos, vasa penis mercurio præparata, inprimis etiam vasa eius lymphatica, grato spectaculo exhibuerunt:
de

de quibus tamen omnibus altum apud VERHEYEN-
 NVM est silentium. Speciatim vero etiam DRAKIVS
 optimam, quæ hætenus nota fuit *arteria aorta* evul-
 gavit *delineationem*, ac præterea alias elegantes figu-
 ras, nimirum *ductus thoracici* ex homine, atque *arte-
 ria & vena pulmonalis* dedit. Pulchre quoque per figu-
 ras expressit *musculos & cartilagine* nasi, distributio-
 nem *membranae narium pituitariae*, *ossa turbinata nasi*,
sinus ossium maxillarium, cum eorum aperturis in
 cavo narium; *septi narium constitutionem* eiusque
 membranam, *pulcherrimam omnium organi auditus*,
in unica figura, representationem. Denique idem
 DRAKIVS, decem in Tabulis, nitidissimas exhibuit
musculorum delineationes, eorum brevesque & bonas
 descriptiones addidit: unde factum esse opinor, ut
 a LISTERO, in præfatione libri sui de humoribus,
 hocce tulerit elogium: *Nihil, ut arbitror, inquit,*
aliquod annis generis eiusdem absolutius scriptum.

RIDLEVS quoque vere elegantem *de cerebro* tra-
 ctatum iam A. 1695. edidit, pulcherrimis observa-
 tionibus, experimentis & figuris illustratum; qui ta-
 men etiam VERHEYENO ignotus fuisse videtur. Tacet
 præterea, quæ GLISSONIVS, Tract. de Hepate, & Ce-
 leb. BOHNIVS, iam tam diu in Actis Lipsiensibus, An-
 no scilicet 1682. & 1683, ut & in Circul. suo Anato-
 mico-physiologico, Cap. de hepatis officio, de
ductibus hepatico-cysticis, cum publico communi-
 carunt: quæ VERHEYENVVS, dum, in descriptione
 horum illos filet, pro suis inventis venditare vide-
 tur. Nec minus *vasa nova palpebrarum Meibomii*
 nostri, in peculiari epistola olim evulgata, atque a
 BARTHOLINO, BLASIO, Io. Maur. HOFFMANNO,
 aliisque repetita prætermittit.

Siluit etiam inventores *ductus salivæ glandu-
 le*

la sublingualis in bestiis, RIVINVM & BARTHOLINVM: unde & hos ipsi incognitos fuisse, haud obscure divinare licet. Siluit quoque *Mauricium* HOFFMANNVM, primum *ductus pancreatici inventorem fuisse*. Sic forte nec legit, quæ LITTRIVS dedit de *glandula nova urethrae*, in Hist. Acad. Reg. Scientiar. A. 1700. Nihil loquitur de *hiatu*, sive foraminulo, quod primum *Rivinus*, (docente VVELSCHIO in tabulis suis Anatomicis) & deinde etiam MVNINCKS, VALSALVA, & DRAKIVS, in *membrana tympani* statuerunt, per quod nonnulli fumum nicotianæ, ore attractum, per aures emittunt. PACCHIONI observationes de *dura matre*, in tract. de fabrica & usu duræ matris, nec non de *glandulis conglobatis durae matris*, per figuras designatas, pariter omittit; sicut & sinus inferiores duræ matris, quos partim VIEVSSENIVS & ORTLOBIVS, partim RIDLEVVS delinearunt ac descripserunt. Nihil refert de eis vasis, quæ THEBESIVS in *interiori cordis superficie detexit*, & peculiari dissertatione, Lugduni Batavorum A. 1708. edita, descripsit: de quibus tamen & acta Lipsiensia loquuntur, & figuras exhibent.

Silentio premit BRIGGIUM de *oculo*, & quæ HOVIVS de *motu humorum oculariorum* publicavit; quorum tamen modo laudata Acta Lipsiensia & mentionem fecerunt, & delineationem quoque dederunt. Similiter, quæ RVYSCHIVS nova dedit, tam de *arteriarum pulcherrima per choroideam, Ruyschianam, & uveam distributione*, quam, quæ alias mirabilia in suis epistolis, & thesauris, descripsit quamplurima, vel prorsus omittit, vel per transennam tantum indicat. Pulcherrima quoque multa, quæ hic *stupendis suis iniectionibus in cerebro auribus, naso, lingua, corde, ventriculo, intestinis, omento, hepate, liene,*

liene, renibus, aliisque partibus detexit, sicco sæpe pede transit: quorum tamen in systemate anatomico non solum mentionem, sed etiam sufficientem descriptionem, facere debuisset.

Sic &, ubi de glandulis intestinorum agit, **DEYERVM** filet, inventorem eorum: id quod vel ex eius scriptis, vel ex *Mangeti Bibliotheca anatomica*, cognoscere potuisset. Neque quæ **NOVESIVS** de *vesiculis seminalibus mulierum*, *nervo auditorio*, aliisque rebus anatomicis, nova tradidit, perspecta habuisse **VERHEYENVM** inde conicio, quia de eis nihil scribit. *Neurographia & novum vasorum systema* **VIEVSSENII** quoque meruissent, ut plura ex eis retulisset, quam retulit; sed haud memini, eum horum librorum vel mentionem usquam iniicere.

Nihil iam dicam de eis inventis & observationibus, quæ post editionem ultimam *Anatomie* **VERHEYENI** prodierunt, quippe, quæ tunc scire nondum poterat; ex quibus vero auctoribus brevitatis causa nonnulli tantum hic nominabuntur: ut *Fantoni* anatomia corporis humani, *Vercellonius*, de glandulis œsophagi; *Nigrisolius*, *Vidussius*, *Voglius*, *Hilfcherus*, *Vallisnerius*, & *Paitonus*, de generatione; *Anellus* de ductibus lacrymalibus: ubi quidem *Morgagni* descriptionem tradit; attamen ex huius fabricæ cognitione fistulæ lacrymalis curationem emendat. Porro *Cheseldeni* Anatomia & lithotomia *Eustachii* tabulæ anatomicæ, *Vieussenius* de aure, corde, et liquoribus corporis humani; *Morgagni* quinque ultima Adversaria anatomica; *Salzmannus*, *Henningerus* & *Wium* de ductu thoracico; *Henrici* vesiculæ seminales mulierum; *Palfini*, Anatomia Chirurgica; *Cantii* impetus anatomici: *Michelottus* de Separatione fluidorum, & sanguinis in pulmonibus

bus

bus mutatione: *Bœrhavius* & *Ruyschius* de glandularum fabrica, huiusque Adversaria, epistolæ & thesauri varii; *Vaterus*, *Coschovitzius* & *Waltherus* de novis ductibus salivæ *Teichmeieri* Antropologia, *Covvperi* Myotomia reformata nova & splendidissima; *Santorini* observationes anatomicæ, itemque *Winsloi*, *Rauholti* & *Helvetii* in Historia Academiæ Parisinæ; *Albinus* de intestinis tenuibus; *Burggravius*, de spirituum animalium existentia contra *Gælickium*, aliique scriptores, qui in opusculo nostro de *incrementis Anatomies* nominantur, quorum res gestas præcipuas in compendio hoc indicavi.

Præter auctores vero enarratos, & forte plures alios, quorum inventa & observationes, imo integros libros ignorasse videtur *VERHEYENVS*, multos adhuc alios defectus & errores annotabo, quos facile evitare potuisset; ut exemplis quamplurimis oppido demonstrarem, anatomicam disciplinam libro perfectiore, quam *VERHEYENI* est, indignasse.

Et primo quidem *in trunci corporis humani* divisione, eum tantum *in tres partes*, caput, thoracem, & abdomen, dividit; ad *collum omittit*. Quia vero collum neque ad caput, neque ad thoracem, sine confusione referri potest; merito *in quatuor partes dividendus est truncus, & collum, tanquam pars diversa a reliquis, considerandum*. Nam dici recte nequit, laryngem aut asperam arteriam in capite aut thorace esse situm, sed in collo. Sic etiam *vulnus colli* in chirurgia, neque ad thoracis, neque ad capitis vulnera referri potest: quapropter colli a reliquis trunci partibus distinctio, non est entium præter necessitatem multiplicatio; sed, quia ad confusionem evitandam facit, perquam utilis divisio, multorumque clariss. virorum autoritate nititur, vid. pag. 128.

Deinde

Deinde *dextrum ventriculi orificium sinistro altitudine esse equale*, & scribit & delineat: cum tamen RVYSCHIVS a) & plures alii, ipsaque experientia doceant, *dextrum sinistro esse inferius*. *Valvulam pylori* in figuris suis omit- tit, & hunc tantum circulum fibrosam esse statuit; cum tamen satis insignem plerumque valvulam exhibeat; imo, *nec situm obtinet pylorus horizontalem*, ut a VERHEY- ENO delineatur; sed obliquum, prout figura VI. Tab. I. utrumque hoc demonstravimus.

Valvulam coli, (quam *Bianchus* prorsus negat) ad in- gressum ilei in intestina crassa, *rotundam delineat*, & cir- culi in modum huic orificio esse circumductam, ait *Verheyenus* p. 64; cum tamen in inflato & exsiccato in- testino *non rotunda, sed longitudinalis* & admodum singu- laris appareat, *ex duabus membranis*, quasi semilunaribus, e regione positis, composita: sicuti prolixiori descri- ptione in dissertatione peculiari de hac valvula, An. 1718 edita, ac nova figura illustravimus. *Valvulas KERKRINGII conniventes* intestinorum ex BARTHOLINO recenset; unde apparet, eum etiam vulgatum librum KERKRINGII non habuisse. *Musculos œsophagi* male de- lineat & describit; quorum longe melior delineatio ex COWPERO peti potuisset. *Lieni tunicam duplicem*, p. 86. & *cellulas* adscribit; quæ quidem in bobus ac vitulis reperiuntur; sed non in homine: *ubi unica tantum*, & quidem naturaliter satis tenui *membrana* cingitur: si- cut id etiam in canibus & porcis ita reperitur. *Cellu- losa vero substantia* in homine a RVYSCHIO b) quoque iam refutata est. Plerique autem Autores, quod obiter hic notamus, in eo errarunt, *quod descriptionem lienis vitulini pro humano dederint*; nam experientia & RVYSCHII scripta aliud docent.

Impossibile præterea esse putat, *per unum eundem- que*

a) Thes. Anat. II. Tab. V.

b,) Epist. IV.

que ductum cysticum bilem in cystidem felleam influere, & rursus inde effluere posse: cum tamen nullum adfit obstaculum; nec repugnet analogia in vesiculis seminalibus, ubi per unum eundemque ductum semen in has vesiculas influit, (quod ipse concedit) & excretionis tempore rursus effluit. *Ductus cysticus* in homine serpentino ut plurimum ductu inflectitur, ut dudum RVYSCHIVS a) & nos Tab. III. fig. 9. hic demonstravimus: hinc male a VERHEYENO Tab. XI. fig. 4. *rectus delineatur*. Non notat, *sphincterem adesse in vesicula fellis*: cum tamen flatus immixtus ab ea ita coerceatur, sicut in vesica urinæ, ut non sponte erumpat. *Vreterum structura*, ex triplici membrana composita, a VERHEYENO omissa est. *Capsulas atrabilarias* fitas esse delineat inter renes, venam cavam & aortam; cum tamen, uti EVSTACHIVS b) iam olim recte observavit & delineavit, ipsi renum superiori & interiori parti incumbant: in canibus vero fitæ sunt, uti a VERHEYENO delineantur. *Vsus*, quem his capsulis adscribit, (quod scilicet liquorem in eis secretum ad arterias emulgentes transmittant, quo urine in renibus præcipitatio melius succedat) nullo experimento, neque ratione, neque analogia, nititur.

Prostata, duo corpora globosa esse perhibet, p. 114. quæ vero non nisi unicum sunt. *Vrethre substantiam cavernosam* circa glandem quasi obliterari asseverat, p. 115. cum contra ibi magis expandatur, & totam fere glandem constituat, sicut RVYSCHIVS dudum demonstravit: c) & hinc male describit glandem penis, p. 118. quasi ex duobus corporibus spongiosis componeretur; nam modo laudatus RVYSCHIVS & dein LITTRIVS d) dudum accuratiores dederunt descriptiones. *Duo tantum muscutorum penis & urethre paria* numerat VERHEYENVS; cum

- a) In Epist. V. Tab. 5. fig. 6. b.) Tract. de Renibus.
 c.) Observat. Anatomico - Chirurg. centesima.
 d.) Histoire de l'Acad. des sciences An. 1700.

cum tamen tria, ut supra iam dictum, a longo tempore nota atque descripta sint: quibus LITTRIUS quartum addidit, *rectum* appellatum, quod ab ano oritur, & bulbi urethræ parti posteriori inseritur: sicut in Myologia, §. 345. ea descripsimus. *Urethra pulchra descriptio*, quam LITTRIVS a) dedit, eum prorsus fugisse videtur: alias sine dubio hac de re locutus fuisset. *Glandulas in vesiculis seminalibus* se manifeste observasse in adolescentulo, Harderus asseverat, b) cum ductibus excretoriis setam admittentibus: quorum vero ab illo nulla fit mentio.

Tubulos lactiferos mammaram ex glandulis rotundis provenire, fide NVCKII quidem affirmat VERHEYENVS, sed non sua observatione: prout ex verbis eius colligere licet; quemadmodum etiam de illis *glandulis mammaram*, tam breviter & frigide loquitur, ac si nunquam eas certe, saltem ita, sicut eas delineat, vidisset. *In flore ætatis*, ait tantum, *eas candore nitere, in senectute vero flavescere obfuscare*: ceterum vero de eorum situ, figura, magnitudine &c. nihil proponit. Delineat quidem eas rotundas, & copiosissimas, ubique mox sub cute per mammas dispersas, Tab. XVIII. fig. 2. & 4. secundum NVCKIVM; sed nunquam eas ita reperire potui, quamvis lactantium, puerperarum, virginum & aliarum mulierum, mammas solcite sæpius examinaverim. E contrario observavi, illos globulos, qui cute separata apparent, meram pinguedinem esse. Verum in medio mammæ, sub pinguedine, alia quædam, parva quasi mamma, ex continua glandulosa substantia composita, (*non globosa*) latet, quæ uberibus brutorum haud absimilis est. Per hanc substantiam glandulosam tubuli lactiferi,

) (2

ri,

a) loco modo citato.

b) Prodro-mo physiologico.

ri, instar ramusculorum, distribuuntur; atque sic vera mammarum fabrica se habet. a)

Quare vasa diaphragmatis *phrenica* dicantur, falsam profert rationem: nam docet, *ea ita vocari, quasi pertineant ad mentem; phren enim mentem significare, quacum putentur habere specialem communicationem.* Sed planior longe est ratio: nam *phrenes* ($\phi\rho\acute{\nu}\epsilon\upsilon\varsigma$) HIPPOCRATI & aliis antiquis Medicis, teste EROTIANO, etiam diaphragma vocabatur: unde vasa ad illud excurrentia, *phrenica* dicta sunt. b)

Arterias cordis coronarias, sub valvulis *semilunaribus aortæ* oriri, tradit p. 176; cum tamen *supra eas* orientur, & hæc notitia magni sit momenti, ad motum cordis rite explicandum. Præterea VERHEYENVS cum VIEVSSENIO affirmat, per oscula vasorum, in ventriculos cordis hiantia, *fermentum cordis* deponi, p. 172: Verum hic sanguis venosus est, a nutritione cordis & aliis functionibus e substantia cordis refluus, qui nulla ratione fermenti nomen meretur, quia cum fermenti officio fungi, rationibus idoneis nunquam probatum est, nec probari posse puto; cum nullum fermentationis in corde adsit vel minimum indicium. c)

Glandulam thyroideam ab utraque asperæ arteriæ parte *dependere*, & haud inepte *duas* dici, ait VERHEYENVS, & sic etiam eam depingit, Tab. XXII. fig. I. Verum recte scripsit MORGAGNIUS, d) eam male pro duabus a multis haberi: cum unica sit, & crescentis lunæ figuram obtineat, cuius cornua sursum spectent, sicut in Ephemerid. cent. VII. & VIII. a nobis exhibita est, non deorsum, uti a VERHEYENO delineatur. *Numerum annulorum asperæ arteriæ*, a larynge ad divisionem in bronchia,

a) consentit mecum Morgagnius Advers. IV. fig. III. b) vid. Lexic. Med. Brunonis, sub voce *phrenes*. c) Conf. Bærbav. Instit. Medic. d) Adversar. Anat. prim. §. 26.

chia, frequentiore esse, 20, 22, aut paullo plures, asseverat, p. 191. Ego in hominibus tantum 16 ad 18, vix unquam plures numerare potui; in bestiis vero longe plures adsunt. *Arteria bronchialis, ejusque distributionis inventorem*, RVYSCHIVM, silet VERHEYENVS, attamen eiusdem verbis eam describit, p. 195: & quamvis quidem aliqui, ante RVYSCHIVM, eam aliquo modo indicaverint; a) hic tamen ortus & distributionis perspicuam descriptionem & delineationem primus dedit. b)

Sanguinem non sufficere, perhibet VERHEYENVS, ad nutritionem, nisi in pulmonibus materia aerea imprægnetur, atque in sinistro cordis ventriculo rite fermentatus fuerit, p. 196. Receptissima vero hæc olim sententia nervose refutatur a PITCARNIO c) & BOERHAVIO d) aliisque. *Glandularum bronchialium* nullum ante se mentionem fecisse, existimat VERHEYENVS pag. 197; cum tamen BARTHOLINVS e) eas descripserit, & primam inventionem BORRICHIO tribuat: imo ab HORNIO quoque eas iam esse demonstratas, Iustus SCHRADERVS affirmat. f) *Glandulas epiglottidis*, quas RVYSCHIVS iam Thesaur. Anatom. I. Tab. IV. fig. 6. lit. D. delineavit: enarrationemque *Vasorum œsophagi* VERHEYENVS quoque omisit.

Pilos post mortem in cadaveribus crescere; perhibet p. 210: hoc vero cum veritate ut plurimum non convenire, certissimis observationibus expertus sum: idemque RVYSCHIVM, experientia victum, mecum sentire, novi. *Pilos cutis esse sobolem*, plerique Auctores existimant; in barba vero, pudendis, aliisque quibusdam locis manifeste demonstrare possum, eos bulbis suis infra cutem ex pinguedine prodire.

))((3

Sinus

- a) ibid. §. 24. & Act. Erudit. supplem. Tom. VI. p. 128.
 b) Dilucid. Valvularum lymphat. obs. XV. p. 61. c) Dissert. Med. d) Instit. Med. e) Anatom. p. 437. Lib. 2. cap. 10.
 f) in Observat p. 195.

Sinus dura matris variis in locis cum venis externis capitis per varia cranii foramina communicare, eum haud cognovisse puto; quia nihil de hac re apud ipsum invenio: & hoc tamen satis manifestum fit, usumque in Medicina habeat. Locum in cranio, quem *torcular Herophili* vocant, non indicat. Cerebri inferioris delineationem meliorem, quam exhibuit, ex RVYSCHII epistola XII. sumere potuisset. *Par quintum* nervorum in duos tantum ramos in cranio dividi ait, p. 220. quod tamen in tres magnos dividitur. a) *A pari sexto* nervos ad linguam abire, ibidem scribit: quod vero experientiæ non respondet; nam præter fibrillam, quam hoc par glandulæ pituitariæ dat, omne, quod a constitutione nervi intercostalis reliquum est, ad musculum oculi abducentem abit: (id quod etiam non indicat). *De pari decimo* satis perspicue haud loquitur: recte tamen eadem pagina, dicit, *illud infra primam vertebra colligredi*; sed idcirco, quia non per cranii foramina egreditur, & ab ipsa spinali medulla oritur, me iudice, rectius colli, quam cerebri nervis annumeratur; & sic, ut Nota 71. docui, melius novem tantum cerebri, quam decem, statuuntur paria. Foramen illud in cerebro, *anus* dictum, in anteriori natium parte ponit, p. 224; cum tamen anus sit in harum parte posteriori. *Eminentiarum pyramidalium & olivarium*, in principio spinalis medullæ conspicuarum, ut & *valvula magna cerebri Vieussenii*, prorsus non meminit.

In Tab. XXIV. fig. 6. explicatione VERHEYENVS, ubi *glandulas corticalis substantiæ cerebri*, sive corpuscula globosa in ea exhibere vult, ait, substantiam cerebri corticalem hic repræsentari, prout NB. quibusdam ope microscopii apparet; unde colligendum, ipsum suis oculis nunquam talia globosa vel ovata corpuscula glandulosa vidisse; sicuti

a) conf. Ridley of the Brain fig. III. aliique.

ficuti etiam LEEUWENHOECKIUS, RVYSCHIVS, ego, aliique, optimis microscopiis ea videre non potuimus: ideoque earum existentia si non falsa, tamen merito valde est suspecta. *Glandula pituitaria descriptio* prorsus deest in Autore nostro. De usu vero, p. 232. differens, putat eam liquorem aliquem demandare ad os vel nares; sed nullas indicat vias, per quas hoc fiat. Quamdiu vero viæ hæ non demonstrantur, dum nemo adhuc eas invenire potuit, frustra hoc asseveratur. Idem sentiendum de multis aliis usibus specialibus, quos sine rationibus cerebri partibus variis tribuit.

Medulla spinalis varia tegumenta exteriora omittit, quæ §. 274. p. 140. descripsimus, & mox a dura matre incipit. *Musculum subcutaneum* (quem Galenus *platysma myoides* appellat, §. 321. a nobis descriptum) difficulter a panniculo carnosio avelli ait, p. 238; cum tamen nullus datur panniculus carnosus in homine. Ibidem *buccinatorum, aliosque labrorum musculos*, male describit: quod factum quoque habet *digastricus* p. 240. In *labris, papillarum nervearum* RVYSCHII nullam facit mentionem.

Pag. 242. nescio, quo iure rursus asseveret VERHEYENVS, *palpebrarum structuram* ingredi panniculum carnosum; cum is a recentioribus omnibus in homine negetur. *Musculus orbicularis palpebrarum* pro duobus describitur p. 242; cum tamen revera non nisi unicus sit. *Motus oculorum*, præcipue obliquos, Auctor hic non recte explicat; COWPERIque elegantem figuram muscutorum oculi ignoravit: quæ tamen, ut obiter hoc moneamus, paulo longior repræsentatur, quam par est. De *fibris muscularibus uvæ*, quæ pupillam dilatant & constringunt, nihil, aut male loquitur. Quod *tunica cornea* supra reliquum oculi globum emineat, haud commemorat: quod tamen ad visum aliasque res rite intelligendas scitu est necessarium. *Tunica humoris crystallini ipsi du-*

bia videtur p. 248, quæ tamen non modo facile demonstratur : sed eius quoque vasa iam dudum a RVYSCHIO Thes. Anat. II. Tab. I. f. 8. delineata sunt. *Humoris vitrei fabricam*, probabiliter *vesiculosam*, omittit. *Nervos oculi* pessime describit, pag. 251 : nam *ad sensum*, ait, *habent oculi opticos*, qui tertium par nervorum capitis constituunt : *ad motum duo paria integra*, scil. secundum & tertium ; quorum illud conficitur ex nervis insignis magnitudinis, qui proprie oculorum motorii dicuntur. Posterius vero ex nervis exiguis, a WILLISIO *patheticorum nomine* descriptis : qui errores revera adeo insignes sunt, ut illos satis mirari non possim : sufficiatque, me eos tantum hic indicasse. Conf. cui lubet, nostra nervorum oculi descriptio, pag. 144. & §. 299. pag. 162.

Ductum, cum *Stenone* & multis aliis p. 260, & 261. statuit *e naribus per palatum ad os, mox post dentes incisores superioris maxillæ*, qui ordinarie satis esset manifestus. Sed hic ductus in sceleto quidem, ad cuius figuram provocat *Verheyenus*, satis manifestus est ; verum in vivis & cadaveribus tam accurate clausus est, ut, ipso *Stenone* teste, ne setam transmittat. Conf. Nota (59*). *Vsum sinuum in ossibus cranii* incertum esse, ait VERHEYENVS p. 261 : cum tamen ad maiorem tunicæ pituitariæ narium expansionem, adeoque ad meliorem odoratum facere, mihi aliisque recentioribus nullum sit dubium. *Membrane narium*, SCHNEIDERI nomen non addit : quæ tamen ab aliis, & quidem recte ita appellatur, quia ab hoc primum accurate pervestigata & descripta est.

VERHEYENVS recentiores, qui de aure scripserunt, ut DUVERNEVM, SCHELHAMMERVM & VALSALVAM, prorsus non consuluisse videtur. Nam *Anthelicem auris*, etiam *scapham* appellat p. 265 ; cum tamen omnibus accuratioribus *anthelix* eminentiam, *scapha* vero cavitationem inter helicem & anthelicem, denotet. Deinde *concham*
vocat,

vocat, quod ceteri omnes *scapham nuncupant*. *Glandulas sebaceas* VALSALVAE filet; & p. 266, ubi *glandulas ceruminosas* describit, colorem earum omittit, inventoris DUVERNEI haud meminit, atque figuram DUVERNEI, ut iam diximus, BLANCARDO adscribit; unde adhuc manifestius est, eum DUVERNEI tractatum adeo celebrem non novisse, alias verum autorem citasset. Nec *reticulum*, cui inhærent hæ glandulæ, a VALSALVA descriptum, commemorat. *Membrana tympani* convexitatem & duplicaturam non indicat. Neque *membrana in factu tympanum tegentis*, neque *chordæ tympani*, mentionem facit. *Musculos mallei & stapedis* nusquam delineat. Ductum, sive *Tubam* EVSTACHII, *Aquæductum* appellat; cum tamen *Aquæductus* FALLOPII longe alius sit ductus: uti SCHELHAMMERVS iam dudum, & postea etiam VALSALVA aliique demonstrarunt: cuius vero descriptionem prorsus omittit. *Cochleam & labyrinthum* pessime describit, & de *canalibus semicircularibus*, de *vestibulo*, *lamina spirali*, *scalis cochleæ*, *zonis sonoris*, *portionis dextrae nervi auditorii distributione*, & *nervis vertebralibus*, qui *ad aurem abeunt*, nihil quicquam loquitur: aitque, *se ex harum rerum descriptione confusionem potius, quam scientiam metuere*, p. 268. Ex quibus evictum esse puto, eum internam auris structuram non intellexisse; nec recentiores, antea citatos auctores, nec veteres, qui de aure scripserunt, ut EVSTACHIVM, COITERVM, CASSERIVM, FOLIVM, unquam legisse; nam alias accuratiores delineationes & descriptiones, quam exhibuit, ex eis exhibere potuisset, aut saltem horum mentionem fecisset: verbo, auris interna pessime ab auctore nostro descripta est.

Lingua sex paria musculorum tribuit p. 271: meliorem vero ex COWPERO petere potuisset descriptionem. Nec *papillas lingue* accurate describit; *Tegumentorum* vero,

))((5

Vaso

Vasorum sanguiferorum, nervorumque linguæ hoc in capite ne quidem mentionem fecit: id quod tamen hic fieri merito debuisset. Neque de *frenulo*, neque de *usu linguæ*, neque de *gingivis*, aut *unguibus*, vel verbulum profert.

Ductum salivalem Warthoni auctor desinere scribit p. 274. in oris interiora, NB. *prope dentes posteriores*; cum tamen prope dentes *anteriores incisores*, iuxta frenulum linguæ, in os hiet: unde suspicari licet, eum hunc etiam non cognovisse. *Musculorum uvulæ* duo tantum paria, eaque male & sine nominibus describit. *Ossis hyoidis musculorum* confusionem facit: par *mylo-hyoideum*, a ple-risque descriptum, omittit, & duo paria *genio-hyoideorum*, refragantibus optimis Myotomis, tradit. Omit-tit quoque *musculos occipitales*, ut & *lividum* sive *pecti-næum*, femoris elevatorem, aliosque.

Prætermisimus hic, ne præfatio nostra nimis fiat proluxa, adhuc multas hallucinationes Auctoris nostri, quas in *ossibus, musculis, arteriis, venis & nervis*, commisit, ex quibus demonstrari posset, eum non satis accurate anatomen tractasse; nec in Auctorum Anatomicorum cognitione bene versatum fuisse. Nihilominus tamen non possumus non adhuc paucissima ex his notare: & quidem Tab. XXX. fig. 3. *capiti infantis recens nati magnum, ut in adulto, processum mastoideum, appingit*, qui tamen in infantibus adhuc deest. Deinde pag. 341. ait, *nullum musculum reperiri, per cuius solius actionem caput recta dextrorsum aut sinistrorsum inclinaretur*: cum tamen hoc fiat per *musculos rectos laterales*, a FALLOPIO, COWPERO, KEILIO, PAVLI, & DRAKIO iam dudum descriptos. Pag. 356. scribit, *se musculum anconæum (cubiti extensorem) reperire nunquam potuisse, sed se eum ex aliis delineasse*; cum tamen in omnibus cadaveribus, si modo rite attendatur, facile reperiri queat: nullumque novi probatum scriptorem, qui hunc musculum unquam defecisse no-

tave-

taverit. *Venam azygos* nusquam delineat; & pag. 376. ait, *an venæ cervicales sive vertebrales in cerebrum* (intelligit sine dubio cranium) *ascendant, mihi nondum constat.* Ex quo apparet, ipsum earum ingressum, per foramina peculiaria occipitis, post processus eius condyloides, & fines nescivisse, ubi se in sinus laterales duræ matris inserunt. (Conf. Nota 68*) Hæc tamen foramina, quod notandum, in omnibus non sunt aperta: hinc in his sanguis sinuum cerebri per solas iugulares ad cor redit, & venæ vertebrales clausæ sunt. Quandoque etiam tantum unum horum foraminum in alterutro latere patet. *Vena umbilicalis* a VERHEYENO Tab. XXXIX. fig. 2. delineatur, ac si duplici ramo finiatur; uno, qui in venam cavam; altero, qui in venam portæ, desineret; quod vero falsum: nam unico canali sive trunco in solum sinum venæ portæ definit, & ex hoc demum sinu in fœtu canalis peculiaris ad venam cavam transit: quem VERHEYENVS pro altero venæ umbilicalis ramo forte habuit. Conferatur id, quod in Ephem. Cent. V. & VI. pag. 236. de hac vena & ductu scripsimus, ut & fig. 12. Tab. nostra III. exhibita.

In priori editione, cap. de Cerebello, VERHEYENVS scripserat, *arterias vertebrales ad medullam oblongatam appellari, non per magnum occipitis foramen, sed per foramen aliquod minus, anterius a latere istius magni foraminis*; hunc vero errorem, cum An. 1707. apud ipsum Lovanii essem, in familiari colloquio, cum sermo his de partibus fieret, ei amice indicavi, easque arterias omnino per ipsum magnum occipitis foramen cerebrum adire asseveravi; atque inveni postea, eum hunc lapsum in posteriori editione emendasse. *Singulares vero flexus arteriarum carotidum & vertebraliū*, antequam cranium ntrant, qui in DRAKII Tab. XX. egregie repræsentantur, & arteriis, cera repletis, facile observari possunt,
noster

noster quoque VERHEYENVS, ut & MANGETVS, prorsus omiserunt.

Cum igitur tot tantique defectus & errores in VERHEYENI Anatome adsint, nullum fore hominem æquum existimo, qui hunc nostrum laborem, utilitatis publicæ causa susceptum, damnaturus sit, quo defectus illos ex recentissimis Aucto-ribus, propriaque mea experientia supplere, & errores emendare studei. Atque hoc ipso me studiosæ iuventuti non inutile officium præstitisse confido: dum in hoc compendio scientiam anatomicam, alias valde prolixam in idoneam epitomen ita redigere allaboravi, ut commodissime in Academiis pro usu studiosæ iuventutis adhiberi queat. Etenim præmissa generaliori anatomes notitia, ac subiuncta brevi Ossium doctrina, quæ fundamentum & sustentaculum sunt reliquarum corporis humani partium, ad partes molles progressum feci: ubi prius tegumenta corporis communia, brevibus in *tabellis*, (ut vocant,) explicavi. Deinde eadem methodo partes abdominis, thoracis & capitis, ac tandem arterias, venas, nervos, & musculos exposui: in quarum omnium descriptione rem ita dirigere studei, ut plerumque singulam partem organicam una in pagina, vel in duabus, e regione sibi positis, explicaverim: quo iuvenes, sub uno quasi aspectu, intueri queant, quid in qualibet parte notandum occurrat: quod ad attentionem excitandam, memoriamque tyronum adiuvandam quamplurimum confert. Aliquoties tamen etiam plures paginas, ob rerum circa partes nonnullas dicendarum copiam, adhibere coactus sum; quas tamen ita distribui, ut non facile confusionem pariant: formamque hanc libri præ majoribus elegi, ut sit gestabilis, atque usus commodioris.

Quam-

Quamvis vero paucis sæpe verbis me expediverim, tamen ea pro indice & norma, dicendorum & discendorum commodissima, sufficere observavi. Nam cum pro collegiis, ut vocant, & demonstrationibus anatomicis hic libellus potissimum sit compositus, ubi breviora non solum oratione, sed & demonstratione illustrantur, & prolixiores libri iuvenibus haud adeo commodi, ac sæpe nauseam creant, satis inde patebit brevitatis ratio: quam tamen tantam non esse puto, ut auditor & spectator attentus rem indicatam, aut breviter descriptam, inde intelligere non possit.

Conscribere vero iam cœpi hocce compendium, annis mei tyrocinii anatomici; sed verbis brevissimis, & solum pro meo usu, ex ipsa VERHEYENI anatomia, tanquam tunc temporis usitatissima: ut in sectionibus & inquisitionibus cadaverum breviter atque in epitome mox perspicere possem, quænam quavis in parte, quam pervestigaturus eram, inquirenda essent: & si deinde in Auctorum lectione, aut cadaverum sectione, aliquid offenderam, quod in VERHEYENO & tabulis meis non aderat; vel aliter, quam ab ipso descriptum erat, observaveram, illud notavi, tabulisque meis addidi; atque sic sensim, ob rerum additarum copiam, in maiorem molem, quam ab initio erat, accrevit, aliamque tandem prorsus faciem assumsit.

Hoc deinde, cum anatomen alios docere inciperem, adhuc maiori mihi fuit usui: nam, toties, quoties sectionem & demonstrationem aggressurus eram, tabulam partis demonstrandæ cogitate percurrerem: sic deinde investiganda & demonstranda facilius in memoria habebam, eaque leviori opera exhibere poteram.

Tan-

Tandem, quia hæc methodus mihi in accurata anatomies cognitione comparanda multum profuerat, nolui eam invidere auditoribus meis, eamque per aliquot annos describendam ipsis concessi: ne tam multa ad VERHEYENVM, vel alium Autorem, annotare necesse haberent: iisque tabulis, tam pro commoda repetitione, quam pro norma, si quando ipsi in sectionibus sese exercerent, felicius uti possent.

Denique vero, ut ipsos a describendi tædio liberarem, præsertim cum sæpe in describendo multos committerent errores, ipsorum desiderio, decrevi, totum hocce compendium typis mandandum; id quod etiam An. 1715. incepti, atque An. 1717. primum absolui. Cum vero hic labor ab eruditis non male fuerit susceptus, atque exemplaria primæ editionis brevi distracta fuerint, Bibliopolæ rogatu, alteram editionem, & post aliquot annos tertiam, prioribus longe auctiorem & nitidiorem edidi, eique figuras aliquot novas mearum potissimum observationum adieci. Hanc vero quartam editionem, maxima sane industria adhuc longe auctiorem atque emendatiorem reddere studui: quemadmodum eruditi facile agnoscent.

Quapropter non dubito, hocce iam compendium adhuc maioris utilitatis esse posse, quam antea: dum non solum maiori perspicuitate illud digessi; sed etiam omnes rursus novos Auctores, quos obtinere potui, pervolvi: omniaque, quæ in eis scitu digna esse inveni, in illud transtuli; quod profecto in tanta scriptorum rerumque investigandarum copia sine magno labore fieri non potuisse, quivis facile cognoscet: præsertim cum pauca pro veris descriperim, quæ non ipse in cadaveribus humanis prius exploraverim, & vera esse invenerim. Eo autem ipso non solum artium Studiosis & tyronibus Medicinæ, sed etiam forte doctioribus & inpri-

inprimis etiam anatomes Professoribus, usui esse potest, qui vel in compendio res, in anatome hucusque cognitae, nosse, vel eas ipsi docere desiderant. Quam ob causam Auctores recentiores, qui anatomem suis observationibus locupletarunt, & VERHEYENO ignoti, vel saltem citati non erant, in recensione observationum novarum, tanquam, plerumque citavi, ut sic ii, qui prolixiorum earum rerum notitiam expetunt, eos ipsos evolvere queant.

Denique etiam huic editioni iterum *Adenologiam*, ac deinde *notas indicemque rerum* locupletissimum addidi; ut sic totius anatomes compendium sit perfectius, & tanto maiori utilitati esse queat. In *Adenologia* haud perfunctorie *materiam de glandulis*, hodie adeo controversam, pertractavi: & quae partes pro glandulis habendae, & quae e glandularum censu proscribendae, idoneis, ut spero, rationibus indicavi. In *notis*, ad calcem reiectis, loca varia obscuriora, dubia, vel nova, praesertim, ubi ob tabularum rationem brevior esse coactus fui, illustravi & prolixius descripsi, controversias modeste excussi; res, quae mihi incertae aut falsae visae sunt, emendare studeo, & quid circa eas observaverim, candide aperui. Quae vero quia debita modestia ubique a me peracta sunt, spero neminem se a me inique offensum esse, iure conqueri posse: nam utilitatis publicae causa res dubias & errores tetigi: ut vel auctores ipsi, vel alii, res, quae mihi dubiae, aut falsae visae sunt, vel melius demonstrare, vel, si erratum fuerit, errores emendare velint.

Postremo, quae de MANGETI Theatro anatomico in praecedenti editione monui, hic repetere nolo. Hoc tamen, opere illo penitus perspecto, asseverare possum, me plus laboris in hoc parvo conficiendo libello impendisse, quam *Mangetus* in vastis suis volumini-

minibus adhibuisse videtur : quippe in quibus sacram disciplinam anatomicam, prout fere res in mentem & manus inciderunt, (si nihil dissimulare volumus) sine iusto eorum examine, sine prudenti selectu, &, quod præcipuum, sine manuum ad cadavera applicatione, ex aliis, & quidem non semper optimis, cum gravissimis sæpe illorum erroribus, exscripsit, ut Cel. MORGAGNIUS, in doctissimis suis Adversariis, quamplurimis docuit exemplis, & adhuc pluribus, si opus esset, ostendi posset : imo ne unicam figuram aut inventum novum, suo Marte in toto amplissimo opere protulit. Vnde apparet, illud *Verheyeno*, quia pluribus scatet erroribus, haud præferendum, parvumque propterea hocce compendium, in quo innumeri horum errores correcti, defectusque suppleti, maiori usui esse posse. Vale, Lector benevole, meisque laboribus fave, iisque cum fructu utere : donec forte aliquando maior nostra

Anatome, vel alia perfectior
prodeat.



LAVREN-

dico legalis aut iuridica; alia *medica*, dici potest. Præterea alia *Anatomia, speculativa* sive *theoretica* audit: quando quidam ex inspectione cadaverum, dum alii profecant, aut ex libris, fabricam corporis humani addiscunt, quantum pro scopo suo unicuique sufficit; & tales *Anatomici theoretici* vocari possunt: quo sensu multi anatomen scire dicuntur, qui tamen sectione cadaverum nunquam occupati fuerunt; neque sectionem, ut ars culta requirit, vel ob nauseam aut horrorem, aliamve ob causam, instituere recte valent. Quando vero cadavera incidendo, partes artificiose resolvendo, præparando, atque peruestigando nos exercemus, *Anatomia practica* aut *exercitata* vocatur; talesque, qui hanc artem callent, *Anatomici practici* appellantur.

13. Vnde patet, *utilitatem Anatomies* esse *in-* ^{*utilitas eius.*} *gentem*, neque solis Medicinæ cancellis inclusam; verum eius scientiam Theologis, Iuriconsultis & Philosophis valde esse utilem. Medicos vero & Chirurgos salva conscientia ea carere non posse, certum est, si artem, quam profitentur, non in detrimentum generis humani; sed rite exercere cupiunt: nam, quod navis gubernatori pyxis nautica sive acus magnetica, id his est notitia anatomica: quicquid etiam ignari & malevoli quidam obganniant, atque in utilissimæ ac divinæ huius artis opprobrium caluminari annitantur.

DE INSTRUMENTIS ANATOMICIS.

14. Quia vero in arte anatomica INSTRV- ^{*instrumen-*} *ta.*
A 3 MENTIS,